



Syntagmata Theologica Sive Principalis Theologiæ Tractatus

Continet triplicem Tractatum: Primus est de Conscientia. Secundus agit de Merito. Tertius de Reviviscentia meritorum.

Lourenço, Agostinho

Leodici Eburonum, 1692

Sectio XV. De Conscientiâ dubiâ in materiâ privilegiorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80151](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80151)

gatio sit contentiosa, quia scilicet lis est inter duos, nullum ex illis Vicariis cum effectu esse Judicem, sed recurrendum esse ad delegatam: in gratiis autem, quando non est pars adversa, illum esse Judicem, cui rescriptum fuerit presentatum; siquidem in primo casu posset pars contraria eligere Judicem suspectum alteri parti cum aliquo illius damno; hoc autem non contingeret in secundo casu. Ita cum *P. Sanch. & aliis, P. Bard. cap. 5. §. 3.*

348. Quinto deducitur, incertitudinem personarum, cum qua dispensatur, vitare dispensationem (idemque dicendum de collatione beneficii, & privilegio,) ut si Pontifex dicat, dispenso cum filio Petri, cum tamen Petrus habeat plures filios. Ita *Lara lib. 1. cap. 10.* Similiter non valet dispositio incerta, nisi quando in uno tantum potest verificari, ut si quis dicat, instituo hæredes habentes jus ad hæreditatem; si enim unus tantum habeat jus, non vitiat dispositio; maximè verò si multi habeant æquale jus. Ita *Lara cit.*

SECTIO XV.

De Conscientiâ dubiâ in materia privilegiorum.

349. **S**UPPONO primò ex materia de legibus, privilegium definiri: *Est privatæ lex ali- quod speciale beneficium concedens.* Ita sumitur ex *cap. Privilegia, dist. 3. cap. In his, de Privileg. cap. Abbat. cap. olim, de verb. signif. Dicitur lex, non propriè; siquidem non imponit necessitatem privilegiato utendi illos, sed quia quamdiu durat, aliis necessitatè imponit, ne privilegiato usum illius impediatur. Dicitur *lex privatæ*, quia regulariter personæ privatæ conceditur. Dicitur *speciale beneficium concedens*, ut excludantur leges pœnales, quæ licet in defensionem aliquarum personarum, aut locorum concedantur, privilegii tamen naturam non obtinent, quia non per se concedunt beneficium, licet hoc resultet ex impositione pœnæ, & delinquentis punitione.*

350. Suppono secundò, privilegium differre à lege, quatenus hæc respicit jus commune, & publicum; hoc autem jus speciale, & privatum. Differre à dispensatione, quatenus hæc latius patet, semper enim dispensatio est alicujus legis dispensatio, & non ita privilegium. Differre à gratia, & beneficio Principis tanquam inferius à superiore; siquidem omne privilegium est gratia, & beneficium, non tamen è contra; absolutio enim ab excommunicatione, & dispensatio irregularitatis sunt gratia, non tamen privilegium. Differre etiam à rescripto, quatenus hoc, si propriè illius nomen attendamus, significat responsum Principis scriptum ad decisionem alicujus dubii juris sive communis, sive specialis, quod non habet privilegium.

351. Suppono tertio, privilegium multipliciter dividi. Primò in reale, & personale, hoc est illud, quod personæ ratione ipsius conceditur: illud verò, quod ei conceditur ratione alicujus rei ab eâ distinctæ. Secundò in perpetuum, quod perpetuò durare potest, nisi à concedente revocetur: & in temporale, quod de se tempore limitato finitur. Tertio in gratiosum, in quo non habetur respectus ad ulla merita: & in remuneratorium, quod ob aliqua merita conceditur. Quarto in purum, quod omni conventionione, & pacto caret: & in conventionale, quod ex conventionione, & pacto conceditur. Quintò in affirmativum, quod concedit facultatem ad ali-

Tom. 2.

quid efficiendum: & in negativum, quod illam concedit ad aliquid omittendum. Sextò in commune; quod ob finem boni communis conceditur: & in singulare, quod ob bonum alicujus singularis personæ conceditur. Septimò in favorabile, quod ita favorem continet, ut nemini sit incommodum, quale est audire Missam tempore interdicti: & in odiosum, quod ita favet, ut alteri noceat, quale est eximi à decimarum solutione. Octavò in scriptum, quod per scripturam conceditur: & in non scriptum, quod verbo tenus à Principe conceditur. Nonò in privilegium pro foro interno, quod pro illo tantum prodest: & pro foro externo, quod etiam pro interno prodest privilegiato. Decimò in privilegium ad instar, sive ad instantiam, quod ad instantiam privilegiati, aut alterius illius partes gerentis conceditur, aliter non concedendum: & in concessum motu proprio, in cujus concessione Princeps à se ipso movetur. De his omnibus, aliisque divisionibus sigillatim agunt Theologi, & nos cum illis agemus in materia de Legibus. His suppositis.

352. **D**ifficultas 1. Utrum in dubio an privilegium sit revocatum, præsumendum sit revocatum? Negativè. Ita cum communi sententia *P. Bard. cap. 4. §. 6.* Probatur, quia revocatio cum sit odiosa strictè interpretanda est ex *Regul. Odis, 15. de regul. jur. in 6.* ergo in dubio non est præsumenda.

353. **D**ifficultas 2. Utrum in dubio an privilegium hæc & nunc eximat Religiosos à potestate Episcopi, ad ipsum Episcopum spectet interpretatio talis privilegii? Negativè. Probatur, quia interpretatio privilegiorum Regularium, quando dubia sunt, reservatur Papæ, ut concessit Paul. III. in Bullâ ann. 1549, Societati nostræ JESU; idemque concessum est Congregationi Benedictinorū. Predicatoribus, & Minoribus, ut assertit *P. General. Claudius in Compendio privileg. Soc. JESU verb. Privilegia, §. 1. & 4.* Ita *P. Henricq. lib. 7. de Indulgent. cap. 25. n. 6.* neque enim, ait, potest quis jus dicere in propria causa ex *l. qui jurisdictioni, ff. de jurisdic. omni. Judicum, tenet etiam P. Sanch. lib. 6. consil. cap. 9. dub. 1. n. 34.*

354. **D**ifficultas 3. Utrum in dubio, an confirmatio privilegii sit ex certa scientia, seu (quod idem est) sub formâ speciali: aut sub forma communi, præsumatur facta sub forma communi? Affirmativè. Prob. quia tunc præsumptio stat contra privilegiatum. Ita communis sententia apud *P. Bard. cit. §. 4.*

355. **D**ifficultas 4. Utrum si Pontifex concedat tibi Episcopatum, Canonicatum, Beneficium, aut Cathedram, sicut habuit tuus antecessor, talis concessio sit privilegium, quod dicitur *ad instar*, extendaturque ad privilegia etiam personalia, quibus gaudebat antecessor? Et ratio dubitandi est, quia in privilegiis personalibus non datur successio, sed cum ipsa personâ extinguuntur ex *Regul. Privileg. de reg. jur. in 6.*

356. **N**ihilominus cum distinctione dicendum, si forma illorum verborum sit ordinaria, qua ordinariò concedi solet illa dignitas, tunc non se extendi ad privilegia personalia antecessoris: maximè autem si forma non sit ordinaria, sed nova, & specialis. Ita *P. Soar. lib. 8. de Legib. cap. 15. n. 11. contra Barbof. in l. quia tale, ff. solut. matrim. cit. Gloss. in l. Hæres in omne 37. ff. de acquir. heredit. & ibi Angel. Roman. & Jason. lib. 1. Consil. Consil. 20. tenet etiam P. Pal. tr. 3. de Legib. d. 4. pun. 2. §. 8. n. 5. qui hanc doctrinam confirmat ex praxi in Ecclesiâ Compostellana.*

357. **P**robatur, quia in secundo casu cessant præsumptiones contrariæ sententiæ: siquidem tunc non est successio, neque ordinaria dispositio; & aliunde

X

dat 14

datur magna ratio credendi verba illa *sicuti habuit tuus antecessor* non fuisse addita superflue, & sine ullo effectu; nullum autem haberent, nisi ad privilegium prædecessoris referrentur; ergo non ob aliam causam fuerunt apposita.

358. Difficultas 5. In dubio an privilegium sit reale, aut personale, quodnam reputandum est? Dico 1. Si privilegium sit omnino favorabile, quia nec juri communi, neque alicujus tertii contrarium est, debet in casu dubio reputari reale, & extendi. Ita Barthol. Bald. Barbof. Rodriguez, & cum illis P. Soar. lib. 8. de legib. cap. 3. n. 18. Bonacina. d. 1. de legib. q. 3. punct. 1. n. 7. P. Sanch. lib. 8. de Matrim. d. 1. n. 1. & 4. Basfl. lib. 8. de Matrim. cap. 18. §. 1. n. 7. P. Pal. tr. 3. de legib. d. 4. pun. 2. §. 1. n. 6. Dian. p. 4. tr. 3. Resol. 51. Probatur primò, quia beneficium Principis latè est interpretandum ex l. ult. ff. de constit. Princip. & Bald. in l. 3. ff. eod. lect. 1. num. 17. & Bartol. in l. ult. ff. de servit. legat. num. 4. ergo &c. Secundo, quia beneficium à Principe concessum debet esse mansurum ex Regul. Deur. 16. de regul. jur. in 6. ergo &c.

359. Dico 2. Si privilegium juri communi deroget, aut in præjudicium alicujus vergat, strictè est interpretandum, sicque reputandum personale. Ita P. Soar. P. Sanch. P. Pal. Dian. Bonacin. Basfl. & alii juxta. Probatur ex cap. 1. §. Ille verò, de Filiis præbyter. in 6. ubi ea de causa restringitur dispensatio illegitimi, quatenus à jure communi exorbitat. Advertes tamen primò, præjudiciū illud debere esse grave; alioqui non debet in considerationem venire, ut ex Gloss. fin. cap. olim de verbor. significat. docet P. Sanch. cit. n. 4. fin.

360. Dices: Duplici præsumptione concurrente, aliâ speciali, & aliâ generali, prævalet specialis, ut ex multis docet Menoch. de Arbitr. lib. 2. Cas. 472. n. 14. sed præsumptio personalis est magis specialis, quàm realis; ergo in dubio semper pro personali standum est. Respondeo hoc verum esse, quando præsumptio specialis generali opponitur: aliter verò de speciali, quæ si transeat in generalem, erit favorabilior.

361. Advertes secundò, cum P. Soar. P. Pal. cit. & aliis, si tibi major probabilitas est, privilegium esse personale, & non reale, aut è contra, standum esse pro parte majoris probabilitatis; siquidem illa major probabilitas est quædam moralis certitudo, & majus jus confert pro utroque foro. Addit tamen P. Pal. etiam in hoc casu posse sequi partem minùs probabilem, dummodò sit probabilis; siquidem qui probabiliter agit, prudenter agit, sicque potest parti probabili se conformare, relicta probabiliiori, prout supra diximus.

362. Advertes tertio, si tibi possidenti privilegium, ut reale, suboritur dubium, an fuerit personale, & adhibita diligentia, dubium vincere non potes, poteris illud reputare reale ex vulgari regula In dubiis melior est conditio possidentis. Ita P. Soar. P. Pal. Dian. & alii cit.

363. Difficultas 6. Utrum privilegium mihi concessum, ut decimas non solvam de meis prædiis, extendatur ad sola prædia, quæ modò possideo, an etiam ad prædia de novo acquisita, & acquirenda? Respondeo, in dubio debere extendi etiam ad prædia de novo acquisita, & acquirenda, quando ipsæ decimæ solvendæ erant ipsi concedenti privilegium; siquidem privilegium latè est interpretandum, nisi sit in damnnum, & præjudicium tertii; tunc enim debet restringi, nisi ad hoc ipsum sit speciale privilegium, prout supra diximus à n. 358. quale habent multæ religiones non solvendi decimas Parochis,

& Episcopis, etiam de prædiis acquirendis, ut cum multis tenet P. Bard. cit. §. 2.

Hinc colliges primò, posse Summos Pontifices eximere ab onere solvendi decimas, tam prædiales, quàm personales, quoscumque; voluerint, & de facto multos eximisse suis privilegiis particularibus, idque ex cap. *Anobis de decimis*, tenent Rebuff. de decimis q. 5. n. 28. Rodrig. tom. 2. qq. q. 44. art. 4. P. Henric. lib. 7. de Indulgent. cap. 27. §. 3. P. Soar. tom. 1. de Relig. lib. 1. cap. 18. num. 1. P. Less. lib. 2. de Just. cap. 39. dub. 5. & cum illis P. Fagun. in 5. præcept. lib. 2. cap. 4. n. 1. Et ita concessum fuit terris, hortis, & arboribus nostræ Societati Jesu spectantibus à summis Pontificibus Paul. III. Pio IV. Gregor. XIII. Paul. V. & Gregor. XV. ut videre est apud Doctores cit.

Secundò, nullum præter Sum. Pontificem posse hujusmodi privilegium concedere ex Gloss. in cap. *Ecclesie. 16. q. 1. verbo. Novis*: tum quia decimæ fuerunt assignatæ à Papa singulis Ecclesiis ex cap. 1. 13. q. 1. inferior autem non potest aliquem eximere à lege superioris: tum etiam quia in Concil. Cabilon. fuit statutum, ne Ecclesiæ antiquitus constitutæ suis decimis per Episcopos privarentur ex cap. *Ecclesie. & seqq. 15. q. 1.* Episcopus autem non potest dispensare, neque aliquid statuere super Concilium juxta Gloss. in cap. *Cum dilectus de Election.* Et ita docet Rebuff. tr. de decimis q. 5. n. 32.

Tertio, Summos Pontifices posse Principibus secularibus concedere privilegium percipiendi fructus decimarum pro aliqua necessitate communi sive ad tempus, sive in perpetuum, si tantum duret ipsa necessitas communis, & publica utilitas; hoc enim esse licitum praxis ipsa communis ostendit; nam hoc habent de facto sibi à Summis Pontificibus concessum Reges Lusitani pro statu Brasiliensi, & Indico, & omnibus Insulis sibi subjectis. Ita Covar. præf. quæst. cap. 35. P. Soar. tom. 1. Relig. lib. 1. cap. 25. n. 12. P. Fagun. 5. præcept. lib. 3. cap. 2. n. 13. ubi hanc gratiam dicit fuisse etiam concessam à Summis Pontificibus Regibus Hispaniæ, & Galliæ.

Quarto, hujusmodi privilegium non solvendi decimas, aut in totum, aut in partem, manans à potestate laicâ, quæcumque illa sit, nullius esse momenti, nisi ad id habeat speciale privilegium à Pontifice concessum; est enim res clacior, quàm probari possit, exprimiturque in cap. *Tua de decimis*, & tenet ibi Panorm. n. 1. & 2. P. Fagun. cit. cap. 3. n. 14. Hinc est, quod cum Reges, & Principes secularis nullam habeant ex se potestatem in rebus Ecclesiasticis, legitimatus à Rege ad temporalia, & honores, ac dignitates seculares, non censetur legitimatus ad ordines, ac dignitates Ecclesiasticas: sic etiam à Papa legitimatus ad honores, & dignitates Ecclesiasticas, non censetur legitimatus ad seculares, ad quas in solis terris sibi subjectis potest Papa legitimare; siquidem cum hujusmodi potestates sint diversæ inter se, non possunt suos fines excedere. Ita cum Panormit. in cap. *Tua, de decimis, cap. Per venerabilem. Qui filii sint legitim.* & Gloss. ibi. Bartol. in l. quod in provincia, §. Divus, ff. de ritu nuptiar. tenet P. Fagun. cit. à n. 2.

Quinto, privilegia concessa viduis extendi etiam in dubio ad nuptas habentes viros inutiles; siquidem quæ maritum inutilem habet, vidua dicitur, saltem in iis rebus, quas Jus civile concedit in viduarum favorem, & in nullius tertii præjudicium, quale est privilegium vocandi quoscumque ad Curiam Regis in prima causæ instantia; hoc enim privilegium non infert alteri grave præjudicium. Ita Covar. quæst. præf. cap. 6. n. 3. Larra. lib. 1. cap. 21. n. 34. Balda.

Bald. in l. Plagiar. C. ad l. Fabian. de Plagiar. Perez. Tir. in leg. Connub. l. 6. n. 12. Palacios. Rebuff. & alii apud P. Sanch. lib. 4. Confil. cap. 2. dub. 13. Sic etiam dicuntur orphanæ puellæ, quæ patrem inu-
entem habent, scilicet amentem, ad trimeses dama-
natum, aut perpetuo morbo laborantem.

369. Utrum verò hujusmodi puellis sic orphanis dari possit legatum relictu orphanis maritandis? Negati-
uè. Ita cum multis docet P. Sanch. lib. 4. Confil. cap. 2. dub. 13. n. 2. Probatur, quia in dispositionibus testa-
mentorum verba propriè sumenda sunt, & lega-
tum implendum est, si potest, in propriâ, & speci-
ficâ formâ ex Clem. Quia contingit de religiof. domib.
& Triâ. sess. 25. cap. 8. de Reformat. sed non dicitur
propriè orphana, aut vidua, quæ patrem, aut vi-
rum inuitem habet, ut tenet apud P. Sanch. cit. Ber-
rachinus. Turrecrem. Sapia. Felin. & alii; ergo &c.
Confirmatur, quia etiam posset tradi legatum hu-
jusmodi virgini, aut mulieri, quæ divorcium fecit,
aut virum banitum habuerit, ut potè quæ etiam
viduæ impropiè dicuntur, ut ex multis probant
Hypolit. l. unica de raptu. virgin. n. 21. & Felin. in
cap. Significantibus de officio delegat. n. 8. Quando
tamen non forent aliæ orphanæ, aut viduæ propriè
dictæ, non dubitarem posse his legatum adju-
dici; sic enim nulli inferretur damnum, & volun-
tas testatoris meliori modo, quo potest, implere-
tur. Ita videtur sentire P. Sanch. cit.

SECTIO XVI.

De Conscientiâ dubiâ in materia
jurisdictionis.

370. **A**DVERTES primò, multipliciter posse nos de aliquâ re dubitare, prout supra diximus. Secundò, in præfenti multi-
pliciter posse confessum de jurisdic-
tione sua dubitare: Primò, si dubitet an ha-
beat jurisdictionem in ulla omninò peccata pœ-
nitentis, quia dubitat, an omnia sint reservata.
Secundò, quando certus est, habere jurisdic-
tionem in aliqua peccata, dubitat tamen an habeat
in omnia. Tertio, quando nunquam, aut aliquan-
do habens certam jurisdictionem in peccata pœni-
tentis, dubitat tamen, an eam jam, vel adhuc ha-
beat, eo quòd dubitet, an fuerit ei revocata, aut
aliâ ratione expiravit. His positis.

371. Dico 1. Quando quis incertus est, se habere ve-
ram jurisdictionem in ullum peccatum ex iis, quæ
pœnitens confitetur, videtur illicitè absolutio.
Ita P. Agid. d. 8. de Sacram. dub. 6. n. 41. Proba-
tur, quia Sacramentum, ut sit validum, dependet
essentialiter à jurisdictione; ergo qui illud prout
sic administrat exponit se periculo faciendi illud
nullum; ergo illicitè illud administrat cum tali ju-
isdictione extra casum necessitatis.

372. Dico 2. Quando quis est moraliter certus se habere
veram jurisdictionem in omnia peccata cõfiten-
tis, dubitat paululùm an illam habeat in aliquibus,
licetè, & validè absolvit. Ita P. Agid. cit. n. 42.
Probatur, quia cum tali scientia prudenter, sic-
quæ licetè, & validè operamur; alioqui vix unquam
possemus sacramenta administrare, & aliquid fa-
cere; siquidem in plurimis passim occurrentibus
majorem certitudinem habere non possumus; ergo &c.

373. Dico 3. Quando quis verè, sine dubio negativo
dubitat, an habeat veram jurisdictionem in omnia

peccata contentis, nunquam licetè absolvit, nisi
occurrat aliqua necessitas. Ita P. Soar. tom. 4. in 3.
p. d. 26. sect. 6. n. 2. P. Agid. cit. n. 43. Dian. p. 4.
tr. 3. Resol. 38. Nald. in sum. verb. Confessio, num. 32.
P. Reginal. tom. 1. lib. 1. cap. 8. num. 102. Probatur,
aliàs enim exponit se periculo sacrilegii, efficiendo
Sacramentum nullum; siquidem quantum dubitat
de jurisdictione, tantum dubitat de veritate Sacra-
menti; ergo illud sic administrans temerè, & im-
prudenter facit; consequenterque graviter peccat.
Confirmatur, quia graviter peccat, qui absque ne-
cessitate utitur materiâ, aut formâ dubiâ in admi-
nistratione Sacramentorum; ergo etiam qui utitur
jurisdictione dubiâ.

Dico 4. Quando quis jam ante bona fide cre-
didit se habere jurisdictionem in omnia peccata
pœnitentis, incipit tamen nunc dubitare, an eam
habeat, si adhibita diligentia, ut tenetur, adhuc
dubitat, non peccat peccato usurpationis jurisdic-
tionis alienæ, si absolvat; maximè verò, si nunquam
bona fide usum talis jurisdictionis possedit, & eâ
absque necessitate utatur. Ita P. Agid. cit. n. 44.
& 45. & alii. Probatur prima pars, quia cum talem
jurisdictionem bona fide incepit possidere, non
tenetur se abdicare, donec ei aliquo modo constet,
eam non habere; siquidem possessio est pro illo ut
habente jurisdictionem; ergo &c.

374. Probatur secunda pars, quia licet quis dubitans,
an res aliqua sit sua, possit licetè continuare ejus
possessionem jam bonâ fide inchoatam, non ta-
men potest eam cum tali dubio inchoare; siquidem,
ut rem, quam antea non habebam, incipiam mihi
vendicare, requiritur, ut determinatè judicem esse
meam, aut nullius, ut ita meam faciam ratione
primæ occupationis; ergo si dubitem esse meam, an
alienam, iniquè agam, si mihi eam arrogem, cum
non sit melior mea conditio, quàm alterius. Ita
Covar. de regul. possessor. p. 2. §. 7. à n. 3. Medin. Ci
de Restit. q. 17. & cum illis P. Less. lib. 2. de just. cap.
6. dub. 3. n. 10. & 11. addens, si dubium versetur inter
duos, quorum neuter bona fide possideat, rem
esse dividendam; siquidem par est utriusque jus,
neque est ratio, cur uni potius, quàm alteri adju-
dicetur.

Hinc sequitur, si quis bona fide incepit posside-
re beneficium, cui annexa est jurisdic-
tio, & incepit dubitare de validitate collationis, adhibitaque
diligentiâ, adhuc manet dubius, posse licetè reti-
nere beneficium, & uti jurisdictione ei annexâ;
siquidem, etiam si beneficium fortassis suum non
sit; Ecclesia tamen ob commune bonum ejus de-
fectum supplet, & jurisdictionem præbet, prout
supradiximus.

375. Dico 5. Quando id exigit notabilis aliqua ne-
cessitas, is qui dubitat, an habeat jurisdictionem
in omnia peccata pœnitentis, licetè illam absolvit.
Ita P. Soar. tom. 4. in 3. p. d. 26. sect. 6. n. 6. P. Agid.
d. 8. de Sacram. dub. 6. n. 47. P. Reginal. tom. 1.
lib. 1. cap. 8. Dian. p. 4. tom. 3. Resol. 38. & alii. Proba-
tur, quia exigente necessitate, potest confessio
fieri non integra materialiter: & potest etiam ita
absolvere, qui certò scit, se non habere jurisdic-
tionem in omnia peccata pœnitentis, quia illam non
habet in reservata; ergo multò magis poterit sic
absolvere, qui dubitat de suâ jurisdictione.

376. Notabis primò, ad hoc, ut quis possit prout sic
licetè absolvere, sufficientem necessitatem esse,
quando pœnitens aliàs deberet communicare sine
praviâ confessione; aut non posset implere præ-
ceptum annuæ confessionis; aut præter consuetu-
dinem, aut cum aliquâ notâ deberet diu differre
confes-